ORATIO

PANEGYRICA,

MEMORIÆ & HONORI

Venerandi & Clarissimi Viri,

D. SEBASTIANI BECKII,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ejusdemque Facultatis in Academia Basil.

per XLII. annos dexterrimi ac meritissimi Professoris,

DICTA

In illustri & frequentissimo Theologorum Auditorio,

d. XIV. Kall. Martias, An. cIↃ IↃC LV.

à

M. LUCA GERNLERO,

Verbi divini in Ecclesia Basil.

Administro.

Cum Programmate & Epicediis

AMICORUM.

BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI,

Universit. Typogr. A. cIↃ IↃC LV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

JOHANNES BUXTORFIUS, Facult. Theol. Decanus,
LECTORIBUS S.

כשהמאורין לוקין סימן רע לעולם׃

QUANDO LUMINARIA ECLIPSIN PATIUNTUR, MALUM SIGNUM EST MUNDO, *Hebræorum est vetus magis dictum, quàm verum, ex Chaldæorum potiùs vanitate, quàm Scripturarum veritate depromptum. Quàm altè tamen stolidorum mortalium pectoribus sit infixum, superioris anni experientia, per Astrologorum superstitiosam* πρόγνωσιν, *& vulgi simplicem credulitatem, utrorumq; cum pudore & rubore, comprobavit. At quando Luminaria Reipublicæ, Ecclesiæ & Scholæ, consilio, pietate, doctrinâ, cæteris prælucentia, subducuntur, id demùm infaustum signum esse, longè est certius. De* illis *enim dicit Deus ipse apud Prophetam*; A Signis cœli ne metuatis: quia Gentiles metuunt ab eis, & statuta hujusmodi Populorum vanitas sunt, *Jer.10.v.2,3. De* his *verò ait iterùm* Deus exercituum, se in ira sua ablaturum Viros fortes & bellicosos, Judices, Prophetas, Senes, viros honoratos & graves, consiliarios, Sapientes artifices, eloquentes, &c. *Jes. cap.3.v.2,3,4.* Quando Pastor percutitur, disperguntur oves, *Matth. 26. v. 31. Occidente Sole, nox ingruit. Quotusquisq; verò est, qui hæc signa, ita ut par est, ad animum revocet, & in eorum causas altiùs inquirat?* Justus perit, & non est qui ad cor apponat, & viri pii congregantur ad populum suum, nec est qui intelligat, quòd propter malum venturum congregetur justus iste, *ait Esajas cap. 57.v.1.*

Ominum hujusmodi funestorum tristia nobis Deus statuit Anno proximè elapso in hac Urbe exempla, quo inter nos occubuerunt aliquot lucidissima Reipublicæ, Ecclesiæ, & Academiæ sydera, qui suis meritis per multos annos splendidissimè luxerunt, suæq; virtutis, eruditionis & doctrinæ radios longè lateq; dispersserunt. Ex horum numero vel primus est Vir Reverendus & Clarissimus, DN. SEBASTIANUS BECKIUS, S.S.THEOL.D. *qui posteaquam per Quadraginta duos annos in Professione Theologica, tùm Veteris tùm Novi Testamenti, dextrè docendo, solidè disputando, prudenter consulendo, Academiam nostram magna cũ laude illustrasset, multosq; ad justitiam erudivisset, d.X. Martii, Anni pra-*

cedentis, subitaneo eheu! occasu de nostro Horizonte subductus fuit, non ut instar reliquorum syderum infra eum demergeretur, sed cœlo, unde datus erat, redderetur & insereretur, magno suo cum compendio, nostro verò lamentabili dispendio. Ne itaq; & nos, vulgarium & terrestrium animarum stupore correpti, ejus vel mortem sine debito planctu, vel merita & virtutes sine condigno præconio, ingratâ oblivione prætermittamus, & quasi sepeliamus, officii nostri esse duximus, pro Veteri & laudabili, tàm in Ecclesia, quàm inter Gentiles etiam, consuetudine, Justa tanto Viro persolvere. Quod muneris cùm datum sit Viro Reverendo & Doctissimo, DN. M. LUCÆ GERNLERO, *Ecclesiæ Administro fidelissimo, & ab eodem, quâ est pietate, occupatum; lugubre Argumentum, sed luculentâ & tersâ Oratione, persequi, & Vitam ac Mortem Ejus publicè enarrare constituit.*

Miretur quispiam, cur tàm serò, duodecimo nimirùm, ex quo denatus est, mense, debitum hoc pietatis officium Viro optimè merito persolvatur; non nemo fortassis etiam cavilletur: sicut de Tiberio Imperatore *legimus,* cùm olim Græcorum legati, de longinquo advenientes, ipsum ob Filii pridem defuncti Mortem intempestivè solari vellent, illum, ut festivi erat ingenii, facetè respondisse; Se illorum quoque vicem dolere, quòd in Trojano excidio amiserint Hectorem, tam bonum militem; *à cujus tamẽ obitu tùm duodecim secula præterierant. Hi verò sciant, non deesse rationes, cur hujusmodi laudationes funebres aliquando differantur. Nam luctus, dum adhuc crudus est, & dicentem impedit, & audientem exasperat. Recentia vulnera, fovendo blandè, quàm tractando, meliùs sæpè curantur. Et ut benè meritorum virorũ memoria perennis est, Ps.* 112. *v.*6. *ita illis concelebrandis nullum tempus intempestivum videri debet. Quinimò expedit vel hac de causa eas procrastinari, ne omnis defunctorum memoria mox unà cum cadavere quasi contumulata, simul exspiret, sed interpositâ potiùs morâ denuò revivisçat, ac per nos renovetur. Adde quòd mox nobis intentatum, atq; tandem proh dolor! reipsa inflictum, vulnus novum, manum à prioris cura nonnihil retraxit, moramq; aliquam adduxit.*

Quotquot igitur & Defuncti beatis manibus estis seu propitii seu obnoxii, & Vivorũ præclaris Actionibus favetis, ad Diem XVI Febr. In Auditorio Theol. Æstivo, horâ decimâ *adeste, Dicentem benignè audite, omniaque mutua honoris, amoris, & benevolentiæ officia, bonâ fide, à nobis exspectate.*

RECTORE MAGNIFICO,
Viro Clarissimo & Experientissimo D. D. Emmanuele Stupano,
Medic. Theor. Professore celeberrimo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ORATIO.

SACRAM esse debere præclarorum Virorum memoriam, *Magnifice Dn. Rector, Spectatissimi & Prudentissimi Dn. Scholarchæ: Reverendi, Excellentissimi, Experientissimi, Sapientissimi Dn. Professores: Venerabiles Ecclesiæ Pastores, Mystæ & Symmystæ plurimùm observandi: Hospites reliqui, quotquot adestis, Nobilissimi, Clarissimi, Præstantissimi, Literatissimi: tuq; florentissima studiosæ juventutis corona, spes Ecclesiæ & Reipublicæ;* Sacram, inquam, esse debere Virorum præclarorum, deque Republ. quà politicâ, quâ literariâ benè meritorum, memoriam, eamque ab oblivionis situ & squalore sedulò vindicandam; nemo est, opinor, qui inficias eat. Etenim quis est tàm ab omni sensu remotus, tàm à pietate alienus, tàm in sanctos defunctorum manes ingratus; qui illis extremum hoc honoris officium sive negatum sive interversum velit? Num præclaris, quibus vivi nos sibi devinxerunt, meritis, tantam non inierint à nobis gratiam, ut quando aliam gratitudinis aram illis erigere nequimus, benè saltem de illis sentire, benè de illis loqui, eorumque memoriam ad seros usque nepotes transmittere studeamus? Terrestribus ipsorum exuviis tumulus

debetur: ingenii verò dotibus, præclaris facinoribus, virtuti & meritis, æternæ laudes. Absit, ut illa eodem, quo corpusculum, tumulo abscondamus: absit, ut tot tantosque ipsorum labores impunè patiamur carpere lividas obliviones.

Agnoverunt hæc pluribus retrò seculis sapientissimi Viri, qui magna nomina nec voce suâ celata, nec suis inornata chartis esse voluerunt. Non jam de Paganorum, &, qui illis in pluribus succollant, Papicolarum ritu, ἀποθεώσει dicto, loquor: qui certè si honos esset, (uti honos non est, sed sacrilegium, quo Deus & Christus ejus, quantum in illis, de solio suo deturbatur) jam honos esse desineret, ubi compluribus honore indignis, purpuratis, flaminibus, septimontii adulatoribus & parasitis defertur: de quibus meritò illud Antonini Caracallæ, *sint Divi, modò non sint vivi*, usurpari queat. Non, inquam, impiæ isti consecrationi nos sumus intenti, sed laudabili majorum instituto: quo, Authoribus apud Græcos *Pericle*, apud Romanos *P. Valerio Publicolâ*, defunctorum laudes in frequenti hominum coronâ prædicabantur. Ex quo non tantùm paulò pòst Legibus XII. Tabb. gravissimè sancitum, *honoratorum virorum laudes in concione memorandas, easq; etiam ad cantus, ad tibicinem prosequendas esse:* sed & in ipsâ Dei Ecclesia, eâque superstitionibus nondum temeratâ, institutum, ut, si quando Martyres terræ commendarentur, ipsorum pietas, vitæ sanctimonia & invicta fidei constantia publicè prædicarentur.

Quorsum verò, *Auditores*, præloquium hocce? Nempe ut intelligatis, non peccari à nobis hodiernâ die, dum sanctissimos cineres *Venerandi & Clarissimi, cedro immortalitatis dignissimi Viri*, D. SEBASTIANI BECKII

BECKII, *S.S. Theol. Doctoris, ejusdemq; in Academia nostra ultra quadragenos annos meritissimi Professoris*, in augustissimam hanc panegyrin proferre, ejusque memoriam ad seros usque nepotes immortalem transmittere conamur. Nisi illud fortè insolens cuiquam aut peregrinum videatur, quòd ego, neque ab ingenio, quod mihi minus quàm mediocre contigit, nec ab eâ dicendi facultate, quæ ad ejusmodi argumentum pro dignitate tractandum requiritur, instructus; sacris insuper Ecclesiasticis, quibus operari officium jubet, ad aliud studiorum genus translatus, Viri istius laudes non tàm extollere, quàm ingenii culpâ deterere allaboro. Ipse equidem primus cum B. Hieronymo agnosco, *grandes materias ingenia parva non sustinere, & in ipso conatu ultra vires ausa succumbere: quantoq; majus fuerit, quod dicendum erat, tanto magis obrui, qui magnitudinem rei verbis non potest explicare.* Parendum tamen, ut & mea meritissimo Præceptori pietas; & familiæ ejus laudatissimæ, hoc ipsum à me flagitanti, inserviendi studium; & præclarissimæ memoriæ Viro, meo quondam, vestro, Ecclesiæ, imò Christi, ad quem ille non ita pridem revocatus, desiderii sui jaculo nos omnes reliquit vulneratos; mea probetur obedientia, meum post fata intemeratum obsequium, quod certè extremo cum honoris mei periculo redemtum mallem, quàm vel sonticam ob causam detrectatum.

Adeste igitur, *Auditores omnium ordinum splendidissimi*, animis, quicunque corporibus adestis: & dum τῷ νῦν ἐν ἁγίοις Præceptori nostro exiguum, debitum tamen munus, ex affectu magis, quàm orationis apparatu, persolvere laboro; quanti hunc Virum, quoad vobis conjunctus fuit, feceritis, quàmque vobis preciosa

ciosa sit ejus post fata memoria, vestrâ in me audiendo benevolentiâ & æquanimitate quæso testatum facite.

Annus effluxerat à Christo nato supra sesquimillesimum tertius & octuagesimus, quo ipsis Kall. Octobr. lucem hanc primùm adspexit ὁ νῦν μακαρίτης. Annus is ipse erat, quo Clarissimus & Prudentissimus Theologus, *Zacharias Ursinus* Vratislaviensis Silesius, in illustri Neapolitanâ Nemetum Professor, postquam sævissimos Colicæ dolores per integrum semestre spacium sustinuisset, neque tamen de studiis, meditationibus & lucubrationibus suis quicquam remisisset, ultimam & vivendi & scribendi lineam absolvit. Nimirum sicut inter astra, aliis Horizontem nostrum subeuntibus, alia in hemisphærio adverso emergunt: Sic Deus O. M. occidente quodam Ecclesiæ luminari, subinde Viros alios pietate, sapientiâ & eruditione illustres, in aliâ quâdam plagâ excitare, eorumque ortu illorum occasum & ruinam reparare consuevit.

Si fundamentum veræ laudis est, ex bonis prognatum esse, nemo eam Nostro negatum iverit aut præreptum. Parentes siquidem habuit, *Valentinum Beckium*, & *Martham Iseliam*: cives, si non primi in Republicâ censûs aut dignitatis, veræ tamen pietatis, honestatis & integritatis laude nulli secundos. Mater insuper ex honoratissimâ descenderat serie: Patre, *Joh. Huldrico Iselio*, severo illo ac religioso Justitiæ cultore, ab Alciato IC. quondam Papiæ promoto; qui quantum cum Filio suo *Ludovico Iselio*, Patris in Juris Professione & Reip. patrocinio successore laudatissimo, Academiæ nostræ; quantum Reipublicæ commodarit, adhuc *manet altâ mente repostum*. Matre verò, *Faustinâ Amerbachiâ*, matronâ pietate & virtute cultissimâ,

cultissimâ, filiâ *Bonifacii*, sorore *Basilii*, AMERBACHIORUM, quorum virtutes & merita *non, mihi si centum linguæ sint oraq; centum*, pro dignitate prædicare possim.

Bonifacius Amerbachius, ὁ μακαρίτης Proavus, verum illud Urbis nostræ oraculum, Juris civilis provinciam, quam anno superioris seculi XXXIII. obtinuerat, eâ dexteritate & prudentiâ, eâ fide & candore, eoque cum successu, difficillimis temporibus administravit, ut sapientiæ ipsius radii intra crepidinem nostram contineri non potuerint, sed ad exteros Principesque Viros longè lateque emicarint: quibus quidem consilia sæpè in causis gravissimis rogatus dedit; nulla tamen præmiorum amplitudine, nullo gloriæ incremento, affatim illi promisso, capi potuit, aut ab almâ hâc Matre suâ, Academiâ dico, avelli. Quæ certè tanti eum fecit, ut, cùm Ann. 1562. d. VIII. Kall. Majas, non minore bonorum cum luctu, quàm seculi damno, decessisset; illustri hoc elogio, in matricula suâ eidem parentaret: *Obiit Patriæ, Jurisprudentiæ & omnis Philosophiæ ornamentum.*

De Filio verò ipsius *Basilio* quid dicam, cùm quicquid dixero, longè infra illius dignitatem futurum sit? Illorum potiùs utar verbis, qui meis aptiora, posteris reliquerunt: *Henrici Stephani*, & *Petri Rami*, fulgentium rei literariæ luminum. Ille, quâ mente erga Basilium Amerbachium fuerit, hocce Epitaphio, in ejus honorem concinnato, testatum reliquit:

Amittis Basilea tuum Βασιλέαν, & ullus
Miratur gemitus tot, Basilea, tuos!
Ex re nomen habes, ut fama est: nomen habebat
Ex re itidem, totus nam Βασιλεὺς erat.

Hic verò in *Basilea* sua sic inter alia: *Si quis controversi*

juris nodus inter judicandum inciderit, quod rarum est, Jurisconsultus pro tota civitate unicus (ut anteà pater Bonifacius Amerbachius, & hodiè filius Basilius Amerbachius, non solùm jurisprudentiâ, sed verâ virtutis famâ civis primarius) consulitur. Et post pauca: *Basilii Amerbachii urbanum illud patrocinium jam dictum est, & humanitas mihi præcipuo nomine est complectenda, qui bibliothecam omni excellentiorum librorum genere instructam & ornatam, quoties libuit, toties apertam nobis expositamq; esse voluit. Et tamen cùm bibliothecam tot libris ornatam suspexeris, bibliothecæ dominum, si se tibi penitùs aperiat, (modestia enim permagnas animi laudes veluti tectas habet) librorum lectione scientiâq; ornatiorem invenies.*

Quorsum verò in primâ statim lineâ evagor? Nempe ut ostendam, Auditores, non defuisse Nostro ad capessendum virtutis tramitem præsidia & adminicula domestica, non laudatissima avitæ pietatis, virtutis & eruditionis exempla: ex quibus, ut fieri amat, occultâ quâdam naturæ vi decermina quædam & quasi ἐπιφυάδες in sobolem hancce propagabantur. Quæ quidem ut ad aliquam assurgerent maturitatem, fructusque Majorum gloriâ non indignos promitterent, omni curâ, omni nisu allaborarunt pii Parentes, idque operam dedêre sedulò, ut hæc sua proles non tàm à majoribus suis aliquid ad gloriam accepisse videretur, quàm majoribus aliquid ex sese, velut fluctu reciprocante, adjecisse.

Hinc non tantùm domi id egerunt, ut quotidianis & monitis & exemplis ad pietatem & virtutem, jam inde à teneris unguiculis, alliceretur; sed & publico literarum contubernio, ludo inquam literario, τῇ ἀγαθῇ κηροτρόφῳ, in eâque cumprimis fidei & inspectioni meritissimi Viri, ad fingenda & formanda ingenia

genia nati, *Joh. Beati Helii*, commendarunt. Cujus sub moderamine postquàm fœcundos ingenii sui agellos primâ semente insevisset; aliquot post annos, uberioris ingenii cultûs capessendi ergô, de consilio Ordinis Sapientum, in castra Academica fuit translatus, nomenque ejus à Clarissimo, sanctæque, mihi præsertim, memoriæ Viro, *Henrico Justo*, regiminis fasces tum gerente, in pyctacium Academicum relatum. Ubi Viros audivit præclarè docentes, Artium & Linguarum Professores, *Jacobum Henric-petri* Oratorem, *Martinum Chmielecium* Dialecticum, *Petrum Ryffium* Mathematicum, *Thomam Coccium* Ethicum, *Henricum Justum* Organicum, *Jacobum Zvingerum* Græcum; &, cujus Viri precium pauci intellexerunt, *Johannem Buxtorffium* Hebræum. Nimirùm non id animi fuit Nostro, quod vulgo Studiosorum, qui nullis artium humaniorum præsidiis instructi, illotâ veluti facie, ad sacra properant, studiaque præmatura in sanctuarium protrudunt; sed cùm sacra Dei oracula studiorum suorum metam elegisset, hoc sibi negotii credidit istâ in ætate solum dari, ut Clarissimorum illorum Professorum ductu & auspiciis, artium humaniorum stadium, quo decet studio, decurreret, nec animum ad divinioris Sapientiæ indaginem transmitteret priùs, quàm eum Philosophiæ solidioris ac purioris cognitione subegisset. Quod quidem eâ industriâ, eoque præstitit cum successu, ut anno hujus seculi quarto, VIII. Kall. Majas in publicum virtutis & honoris delubrum deduceretur, & Diribitore *Friderico Castalione*, Rhetorices Professore, unà cum aliis non minùs sanguine, quàm studiorum genere conjunctissimis Viris, Artium Liberalium Magister solenni festivitate crearetur.

Erat tum Cathedra Theologica Viris celeberrimis, Theologorum facilè antesignanis, insessa, quorum laudes omnes si percensere instituam,

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Joh. intelligo *Jac. Grynæum*, ejusque Generum, Virum nomine juxtà & re verè *Amandum Polanum.* Quibus Noster, cùm nomen suum inter S. Theologiæ consecraneos professus esset, quà publicè quà privatim audiendis, mirâ diligentiâ vacavit: in exercitiis Academicis, sive disputandum, sive perorandum, sive prælegendum esset, omnibus aliis suâ virtute & dexteritate præluxit: nihilque laboris, nihil industriæ intentatum reliquit, ut in sacra eloquiorum Dei adyta penetraret. Tutissimo nimirùm insistebat tramiti ac maximè compendioso, studio videl. SCRIPTURÆ SACRÆ, unici ac perfectissimi sapientiæ omnis tabularii. Neque enim illos sibi imitandos ducebat, qui simul atque ad Theologiæ studium animum appulerunt, spreto S. literarum scrutinio, totos sese Scholasticæ Theologiæ mancipatum eunt; prætensâ nescio quâ ejusdem subtilitate, non secùs ac Circæo quodam poculo, dementati. Proh verò stultitiam! Proh pudorem! Annon puriora speres divinæ documenta sapientiæ ex ipsissimis Israëlis fontibus, quàm ex sordidis istis sophistarum lacunis, qui indecoro suo pulvere, spinosis inquam & contortis quæstionibus, omnia conturpare, ac veritatem operire non aperire consueverunt? An, quod *Severus* Imperator in larario suo fecisse legitur, Christum Philosophis, ejus vultum horum imaginibus, accensere decet? An matæologos illos innumeris rerum & putridarum & putidarum φλυαρίας distentos, quos tanto Zelo Heroës nostri ex Ecclesiis & Scholis exegerunt; postliminiô

quasi

quasi revocatos, & loco sacrorum Spiritûs sancti amanuensium, Prophetarum inquam & Apostolorum, *Thomam*, *Scotum*, *Bonaventuram*, similesque nugivendos alios, in sacras docentium sedes evectos decet? An sic aspera sunt salutis nostræ mysteria, ut ad eorum defensionem, voces non tantùm incultæ & hirtæ, non innumeris tantùm ambiguitatibus luxuriantes; sed ipso penè timendæ sono excogitandæ sint? *Quis est, nisi qui planè ad ejusmodi obduruit*, verba sunt *Antonii Sadeelis*, nobilissimi Theologi, *quin, vel audito tantùm horrifico illo novorum vocabulorum strepitu, statim refugiat, & ea se desperet posse unquam animo percipere, quæ nè patienti quidem aure capere potest?* Næ, qui horum satagunt, cani illi Æsopio haud ineptè conferantur, qui objectas sibi carnes amisit, dum carnium umbram, quòd major appareret, captavit. Sic enim & isti, dum inanem quandam Sapientiæ speciem pro sapientia admirantur, sapientiæ ipsius, ac sacrorum Dei mysteriorum jacturam, sed quantam jacturam! faciunt. Quanto meliùs noster ὁ μακαρίτης! qui simulatque sese studiis sacratioribus devovisset, ex B. Apostoli præcepto, τὰς μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτούμενος, sacrosanctis Prophetarum & Apostolorum tabulis unicè adhæsit, ac, si quando veritas adstruenda esset, ex illis adstruebat; si tela in adversarios vibranda, ex illis vibrabat; si machinæ in veritatem instructæ dissipandæ, ex illis dissipabat. Verbo, Sacras *Dei Scripturas* (ut hoc mihi de suo largiatur *Augustinus*) *castas habuit delicias suas: &, ut neq; falleretur in eis, nec falleret ex eis*, omni studio, omni prece contendebat.

Nec eum destituit successus. Eos enim sexennii spacio progressus fecit, eas laborum difficultates superavit, ut cùm An. 1610. pestis populariter grassata com-

plura urbis nostræ ornamenta absumpsisset, exeâque d. XVI. Kall. Sextilis, modò dictus, sed nunquam sine honoris præfatione dicendus, *Amandus Polanus*, vivere juxtà & docere desiisset, in BECKIO summa velut spei ac centrum conquiesceret.

Loquere, dicebat ille, *ut te videam:* non ex imagine aut vultu, sed ex sermone hominem dijudicandum docens. Pariter *Grynæus*, sermone publico BECKII dotes in theatrum proferendas censebat. Hinc ei, & duobus aliis strenuis collaboratoribus, *M. Wolgango Mayero*, & *M. Joh. Georgio Grossio*, Verbi divini in Ecclesiis Albanâ & Elisabethanâ Ministris, publicas docentium partes demandavit, idque potestatis fecit, ut, nè Theologorum sacra post stragem illam pestilentialem seu collabascerent, seu inclinarent; consuetis eorum exercitiis tantisper defungerentur, dum Polano de successore idoneo prospiceretur. Quin & anno proximè sequenti, *Grynæo*, eidem Virorum Trigæ, nihil tale vel expectanti vel affectanti, raro, aut nullo fortè Facultatis istius exemplo, S. Doctoratûs titulum ac tiaram deferente; Noster, præmissâ pridiè Pentecostes, de *primâ Psalmi quinquagesimi primi pericope*, Disputatione inaugurali, duodecimo pòst Kall. Jun. cum præfatis Collegis suis, sacri & orthodoxi Doctoris titulum, augustum eruditionis testimonium, reportavit. Id quod deinceps non dignitatis tantùm, minùs ostentationis, materiam habuit; sed efficacissimum potiùs laboris stimulum ac incentivum. Vices enim beati Præceptoris sui strenuè administravit, ac tum prælegendo, tum disputando, ita periclitatus est vim ingenii sui, ita in sese oculos animosque omnium convertit, ut quos hactenus Præceptores & Promotores veneratus erat, mox Prædecessores & Collegas

salutaret.

ſalutarèt. Contigit enim faciente Deo, ut ipſis Nonis Junii Anni duodecimi, ad ſuſtinendam poſt *Polanum* Vet. Teſtamenti Profeſſionem; & VI. Kall. Martias Anni decimi & octavi, ad eam, in quâ conſenuit, Novi Teſtamenti provinciam, conſentientibus Patrum Academicorum ſuffragiis, acciretur: cùm ſemeſtre ſpacium antè *Joh. Jac. Grynæus* annis, pietate, meritisque gravis, ultimam naturæ legem, quâ parte mori potuit, impleviſſet.

Profeſſor ſecundùm creatus, cùm nihil fermè præter ultimos thalami honores, ſibi deeſſe ampliùs videret, de ducendâ quoque uxore, qui cælebs in Profeſſione ſexennium integrum explevit, cogitare incipit, animumque ad lectiſſimam & pudiciſſimam Virginem, *Annam-Mariam Burckhardam*, *Joh. Rodolphi Burckhardi*, integerrimi & ſpectatiſſimi Viri, fori Judiciarii Aſſeſſoris filiam, ex *Salomea Rüdina*, tribunitiæ familiæ conjuge ſuſceptam, appellit: quæ ipſi paulò pòſt conſentientibus omni ex parte ſuffragiis auſpicatiſſimo omine elocatur. Nemo eſt qui neſciat, *Auditores*, floruiſſe ſemper præ cæteris BURCKHARDORUM familiam, generis & censûs in Republicâ præcipui: quæ nobis Tribunos plebis, Scholarchas, Senatores, Archigrammateos, Doctores ac Profeſſores non paucos ſuppeditavit: inter quos fulget etiamnum, velut *inter ignes Luna minores*, quem præſentem omnes veneramur, *Dn. Joh. Rodolphus Burckhardus*, J. C. Clariſſimus, Reip. noſtræ XIII. Vir & Scholarcha primarius, Noſtri, dum viveret, Affinis conjunctiſſimus, cui ut

de noſtris annis Deus augeat annos,

humiles ac devoti precamur.

Sed erat quod interpolaret neogamis ipſas nuptiarum

rum festivitates. Vis major obsistebat, & aliò vocabat BECKIUM nostrum: qui quid Deo, quid sponsæ deberet; quantum illius honor hujus amori præponderaret, satis habuit perspectum & exploratum. Hinc ad Belgarum Ecclesiam, ex Remonstrantium schismate afflictissimam, vocatus, Paulino monito γυναῖκα ἔχων ὡς μὴ ἔχων; operam illi suam quàm promptissimè dicavit. Sed non videbor, spero, ἐκτὸς χορᾶ ὀρχεῖσθαι, si rem istam paulò altiùs repetitam illustri huic Auditorio repræsentavero.

Æstuabat dissidiis & concertationibus gravissimis Belgarum Ecclesia, in qua Liberi Arbitrii idolum, velut Dagon aliquis, adversùs Arcam Domini insurrexerat: obstetricantibus ei Pyrrhoniis novis & σπερμολογοῖς non tàm Theologis, quàm Mataeologis, quibuscùm hodieque orthodoxa ibidem Ecclesia sine missione colluctatur. *Arminianos* vulgò vocant, ab homine pestilenti, erronum ac turbatorum Patriarchâ, *Jacobo Arminio*, excitati quidem illo, at summè luxuriantis ingenii viro, qui, posteaquàm anno hujus seculi secundo, in Professionem Theologicam Lugduni Batavorum irrepsisset, à *Joh. Utenbogardo, Petro Bertio, Adolpho Venatore, Nic. Grevinchovio*, aliis, adjutus veteres *Massiliensium semipelagianorum*, *Jesuitarum* & *Socini* hæreses, incrustare, novoque instructas mangonio, propinare satagebat. Pleraque nimirùm in Ecclesiis Orthodoxorum recepta dogmata quà publicè quà privatim sugillare; primaria nostrorum præsidia, adversariorum cavillis & exceptionibus elevare; manuscriptos Tractatus, hæresium suarum tabularios, discipulis committere; magni commatis Theologos ingenti supercilio verbisque procacibus temerare; *Castalionem, Cornhertium, Suaresium*, similisque farinæ homines

homines in cathedram efferre, eorumque scripta præ cæteris commendare. Hinc Discipuli ejus, domum ex Academia reversi, nonnisi dubitando, contradicendo, doctrinam vellicando, & (quod Hieronymus Joviniano quondam exprobravit) γυμνασικῶς de rebus divinis, *non* δογματικῶς *disputando*, Ecclesiis Orthodoxis protervè insultabant.

Ac licèt pestis ista aliquot pòst annis à Deo fuerit amota; non tamen Discipulorum impetus, non artes, machinæque omnes oppressæ. Quin tantum illi potuerunt, ut *Conradus Vorstius, Scholæ Steinfurtensis Professor*, illud Socini seminibus gravidum pectus, Arminio successor designaretur; Socini, inquam, genuina proles veraque propago, qui paulò priùs, quàm Lugdunum vocaretur, ab ipsis Socinianis sive ad Theologicam, sive ad Philosophicam Professionem, in Poloniam erat accersitus, aut saltèm solicitatus. Tanta nimirùm clades primariæ istius gentis Academiæ imminebat, ut nisi maturiore consilio ei obviam itum fuisset, illa dogmatum portenta, de Deo, ad Jovis instar Homerici, cælo suo incluso; de corpore, magnitudine, loco, & tempore eidem attribuendis; de nulla Christi satisfactione loco nostro vel præstitâ, vel requisitâ, aliaque, quæ sine horrore & gemitu audiri non possunt, eandem profanassent.

Quibus malis diu multùmque fatigata Belgica, ne Dei causam & veritatem eremodicii damnaret, Synodum tandem nationalem, ex plerisque Europæ Reformatæ Provinciis convocavit, ejusque deliberationibus vetustissimum Dureti forum (*Dordracum* vulgus appellat) sacrum esse jussit: ut quæ civitas inter Batavicas sola cudendæ monetæ, & genuinæ ab adul-

terinâ ſecernendæ, jure ac privilegio gaudet; illa quoque in elogiis Dei ab errorum ſcoriis perpurgandis præ cæteris emineret. Id nimirùm à Synodo expectabatur, ut nullis præpedita carnis affectibus, nulliusque hominis, ſolius autem Dei, adſtricta imperio, de controverſiis motis ſecundùm Scripturas ſacras liberè pronunciaret, &, inſtar fidæ Matris, disjecta Eccleſiæ membra colligeret, putrida reſecaret, ſaucia reſtitueret, animos nimium quantum exulceratos atque exacerbatos leniret, ſanos autem à mali contagio prudenter ac maturè vindicaret.

Rogatus ergò, inter Helvetiæ Reformatæ Proceres, inclytus noſter Magiſtratus, ut ex ſuis quoq; Theologis, qui Synodi deliberationibus intereſſent, mittere dignaretur; XVI. Kall. Octobr. Anni decimi & octavi, *Sebaſtianum Beckium*, Academiæ; & *Wolgangum Mayerum*, beatæ recordationis Theologum, Anteceſſorem meum, Miniſterii nomine ad Synodum delegavit. Qui cum reliquis Eccleſiarum Helveticarum Theologis, laboranti Eccleſiæ haud gravatim operam ſuam accommodarunt. Noverant enim meritiſſimi Viri, non ſatisfacere muneri ſuo Theologum, ſi in umbra duntaxat Auditorii ſui juventutem in ſalutari ſapientiâ præformet; ſi eam pro ſuggeſtu, ſacro Dei populo, ex ambone veluti commendet: niſi inſuper poſtulante neceſſitate in arenam adversùs contradicentes deſcendat, & Æſculapii velut nodoſo baculo adrepentes undique errorum ſerpentes conterere atque conficere ſtudeat. Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον δυνατὸν εἶναι, ὁ μόνον παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Noſter itaq; cum Collegis, aſcito ſibi συνεκδήμῳ τε καὶ ἀναγνώστῃ *M. Jo. Reinhardo*

hardo Ryssio, S. Theol. Studioso, nunc Ecclesiæ Syssacensis à pluribus annis Pastore, & vicinæ diœcesεως Decano meritissimo; secundo Rheno iter ingreditur, & salutatis ex itinere Argentorato, Heidelbergâ, Moguntiaco, Coloniâ Agrippinâ, Ambstelodamo, ipsum tandẽ Durdrechtum ingreditur. Felicem ter & ampliùs Belgicam, quæ tot veritatis assertores vindicesque, tot errorum ἀλεξικάκους & averruncos, lucidissima tot Ecclesiæ sidera, orbis Europæi decora, plagæ tuæ affixa, per semestre spatium aluisti! Multùm te illis obstrictam fateris, sed nulli æquè, ac *Beckio* nostro: sic enim mentis tuæ Interpres, celeberrimus *Heinsius*:

Heu, quantũ est (inquit) *captum peregrinas visere terras,*
Et cœlo thalamos postposuisse suos!
Postposita est virgo: Pietas prælata maritæ est:
Nos patriæ: nobis cedere jussus Hymen!
Plus nulli debent Batavi, qui plurima debent
Jam multis, verè sit precor illa fides.
Certarint alii nobis succurrere; solus
Festinat, si quis Sponsus ad ista venit.

In augustâ verò illâ Theologorum coronâ id Noster curæ habuit: primùm, ut lites maturis sanctisque consiliis sopirentur, &, si modò veritate salvâ licuisset, cicatrix funesto vulneri obduceretur: dein, cùm conciliatio esset desperata, Dei causam adversùs ratiocinia hominum, id est, orthodoxam, de libertate gratiæ divinæ, & servitute arbitrii humani, doctrinam masculè tueretur. Docuit nempe, nulla Deo consilia vel evanida, vel ex eventu, aut in arenâ veluti capta, vel ab hominis arbitrio supensa, citra blasphemiam attribui posse. Docuit, non esse eosdem gratiæ salutaris fines, qui culpæ fuére: cùm istius sphæra

totum terrarum orbem comprehendat; illius intra Ecclesiæ carceres concludatur. Docuit, Gratiam quidem plenis, quod ajunt, buccis, magno verborum apparatu & luxuriâ ab illis erronibus commendari; at *vanæ hæc esse præconia linguæ:* cùm primariam homini arcem, in gratiâ vel acceptandâ vel respuendâ, in ipso conflictu relinquant. Docuit, conversionis nostræ & salutis gloriam non esse, sacrilego divortio, inter Deum & hominem dividendam; sed ipsi, ac indebitæ ejus misericordiæ, in solidum acceptam ferendam: *Deum prædicandum bonum; hominem malum, & suæ sibi infelicitatis fabrum & architectum.* Hæc, inquam, constanter docuit *Beckius* noster: hæc publicâ insuper Dissertatione, *Sessione LXXVIII.* ad Patres Synodales institutâ, firmissimè demonstravit: quando, rogatu Præsidis Venerandi, pleraque τῶν ἐξ ἐναντίας argumenta, quibus tertium & quartum articulum suum, jugulum totius causæ petentes, in Hagiensi Collatione stabilitum iverant, dissipavit.

Non dubito, *Auditores omnium Ordinum honoratissimi*, quin vos audiendæ tandem catastrophes Concilii hujus prolubium subeat. Fuit illa verè fortunata, & summo cum Belgicæ solatio ac tranquillitate conjuncta. Quantumvis enim adversarii initiô per spiras veluti circumduxerint Venerandum Consessum, diebus benè multis negotio protractis; subinde, causam dicturi, sub plurimis verborum cothurnis, planè ut sepiæ sub atro cruore, sese occultarint, nulla non captantes κρησφύγετα, nihilque inausum relinquentes, quo legitimam Synodi authoritatem ac potestatem elevarent: prudenti tamen Patrum consilio id datum est effectum, ut certis quibusdam Canonibus,

bus, ex ipso Dei Verbo piè, perspicuè solidèque erutis, quid de famosis illis quinque articulis credendum esset, definiretur; ac Novatores, suum illud contradicendi cacoëthes non dimittentes, sed veritati ejusq; assertoribus proterviùs multò insultantes, ab Ecclesiæ Orthodoxæ pomœriis procul arcerentur.

Nolite mirari, *Auditores*, tàm profundas egisse virulentam illam doctrinam radices. *Pelagiani omnes nascimur* (ut magnus non ita nuper dicebat Theologus); *imò cum supercilio Pharisaico: hic character vix delebilis est.* Nil crudius est carni, orthodoxâ de salutis nostræ negotio doctrinâ, in Scripturis expressâ: nil eâ minus opportunum, nil minùs comtum ratiociniis τȣ̃ ψυχικȣ̃: qui neque in jus Dei αὐτοκρατορικὸν, quod in universas ac singulas obtinet creaturas; nec in gratiæ libertatem, nulli legi, nulli juri obnoxiam; nec in justitiæ tenorem, ex solâ Dei voluntate definiendum, animum reflectit: sed suo duntaxat sensu Deum metiri, ejus decreta ad hominum consilia exigere, nec plus Deo juris in hominem, Creatori in creaturam; quàm homini in hominem, indulgere consuevit. Hoc illud est illicium, hæc occulta illa vis est quasi magnetica, quæ hominem, naturâ sui plenum, occupat atque percellit. Ut verò magneti nulla virtus est, nullæ vires, juxta adamantem posito: sic adamantinâ veritate omnes ejusmodi machinæ validissimè retunduntur ac profligantur. Sed redeamus ad carceres.

Synodo III. Kall. Majas finitâ, pedem ὁ μακαρίτης in alia priùs loca efferre noluit, quàm Urbes vicinas, Delphos, Hagam Comitis, Lugdunum, Harlemum, Ambstelodamum, aliasque perlustrasset. Lustrando miratur urbium elegantiam, platearum munditiem,

Curias magnificas, Templa augustissima, Auditoria Academica, Bibliothecas incomparabiles, cimeliorũ penaria, ex quibus majora, quàm ex ullâ Midæ arcâ tibi promiseris; navium multitudinem admirandam, ædium structuram in aquis radicatam, mercatorum ex omnibus mundi plagis confluxum, domus Indicas, variorum aromatum promptuaria; domus tùm ęgrotorum, pauperum, senum, orphanorum, furiosorum curæ: tùm juventutis exorbitantis coërcitioni, dicatas: quas utrùm nosocomia an palatia diceret, meritò addubitavit. Tandem ex fortunatissimis provinciis, & amplexibus complurium amicissimorum pectorum, *Pauli* inprimis *Tossani*, *Archipalatini Theologi & Senatoris Ecclesiastici*, quem in illa consuetudine Synodali non interioris admissionis, sed primæ amicum habuit, ἑκὼν ἀεκοντί γε θυμῷ avulsus, vastam Oceani navem conscendit, in Angliam trajecturus. Favente itaque Neptuno primùm Gravesendam, subindè adversâ Tamesi Londinum, totius Insulæ Metropolin, defertur. Dici non potest, Auditores, quàm honorificè ibi habitus fuerit à civilitatis studiosissimâ gente, quantoperè recreatus gratantium & applaudentium vocibus; Basilicæ D. Pauli, & Westmonasteriensis, fidissimæ regiorum cinerum custodis, Aulæ insuper Regiæ & Parlamentariæ conspectu, Theologorum inprimis, aliorumque Doctissimorum Virorum, conversatione: quos inter velut anser strepebat inter olores, qui paulò antè ex Italia profugus Basileam nostram transierat, *Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis*, insignis sed infelix Pontificiæ sedis gnatho & parasitus, qui quò immaniùs aberraverat, hoc tandem majores dedit impietatis pœnas.

Angliâ

Angliâ relictâ, in vicinum Galliarum regnum transgreditur Noster, visurus ibi *lilium inter vepreta*, Ecclesiam, inquam, orthodoxam, inter millenas Pontificiorum fraudes, insidias & persecutiones, invictam: quæ indè à suâ fundatione, seu Martyrum sanguine cruentata, seu pacatis tranquillata halcyoniis, eandem semper doctrinæ puritatem ac sinceritatem, Deo corroborante, servavit. Lutetiam cumprimis, illud Orbis compendium, adivit, in eâque præclarissimum Theologum, *Petrum Molinæum*, *Ecclesiæ Parisiensis Reformatæ* tum temporis *Pastorem*, Virum ætate, famâ, meritisque laudes omnes supergressum, magno Dei beneficio etiamnum de Ecclesia, Sedanensi inprimis, benè merentem salutavit.

Sed reducem optabat patria, invitabat iterùm Academia: in quâ sacris vacandum erat. Itaque valere jussâ Lutetiâ, & quæsito per Campaniam & Lotharingiæ fines compendio, ipsis tandem Kall. Quintil. domum, sospitante Deo, revertitur. Redux magno undique Collegarum & amicorum applausu, magno gratulantium concursu excipitur: calidissimo præsertim affectu ab ea, quam connubio sibi junxerat stabili, propriamque dicârat. Nuptias instituit, ipso mense Augusto, augustissimas: domum ducit nuptam, *instar vitis futuram frugiferæ, & complures olearum plantas producturam*: quin & gratum venturæ senectutis solatium. Nec fallebatur augurio. Suscepit enim ex eâ undenam prolem, quaternam masculam, & femineam septenam; totidem βίᾳ ὀφθαλμὰς καὶ τῶν γονέων ψυχὰς: ex quibus, præter filiam unicam, tres filios superare novistis: *primum* mercaturæ operantem; *secundum* Sapientissimo Philosophorum Ordini adscriptum,

ptum, ac nuper admodùm ſublimiore Profeſſione honoratum; *tertium*, viam ad S. Miniſterium ſternentem: omnes ſuâ virtute piis ξμακαρίτυ manibus parentantes.

Sic *Beckii* conjugium fuit. Cætera Profeſſoris geſta novit Academia, novit hoc ipſum, quod occupamus, Auditorium. Calentibus adhuc nuptiarum ſolemnibus, ad munia rediit, liberiùs poſthac, curis ſublevatus domeſticis, iis vacaturus. Ac ſicut priùs, dum Theologiæ Propheticæ, Veteri inquam Teſtamento, operabatur, *Pſalmos* aliquot, *Decalogum*, & priorem *Geneſeos* partem enarraverat: ita nunc Apoſtolicæ Theologiæ Interpres, poſt ſuas in *Matthæum* lucubrationes, diviniſſimam Doctoris Gentium epiſtolam, quam *Romanis* inſcripſit, commentando illuſtravit. *Diviniſsimam* voco: quòd in eâ, ſi ullâ, Sapientiæ τῆς ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένης opes referentur; ſimulque ea Romanæ Eccleſiæ facies pingatur, coram quâ moderna rubore ſuffunditur. Quò minùs mirum, Anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo, vivum fuiſſe Romæ exuſtum *Johannem Mont-Ilcinum Monachum*, non aliud ob ſcelus, quàm quòd Epiſtolam ad Romanos Bononiæ & prælegiſſet pro munere, & ſolidè explanaſſet. In tantum ſcilicet confunditur larvata, quæ hodiè caput effert, Roma, ſi veteri ac intemeratæ, Apoſtatica Apoſtolicæ componatur. Sed & ejusdem Authoris Epiſtolas, Eccleſię *Galatarum*, *Tito* Diſcipulo, & *Hebræorum reliquiis*, in quâ tandem calamum appendit, inſcriptas enarravit: intertextis tamen, ut tempori litaret, peculiaribus διεξόδοις nõ paucis: quibus inprimis ἡ ἀρτοκλασία Euchariſtica An. 42. Juſtificationis itèm articulus à *J. Camerone* Tractatu Mſ. labefactatus, & Doctrina

ctrina de Imputatione primi protoplastorum peccati, à *Mose Amyraldo* impetita, materiam suppeditarunt.

Laboribus statis periodici accessére non pauci. Magistratum enim Academicum quintùm; Decanatum S. Facultatis, vix pari exemplo, vicies & quater gessit, sed multo semper cum gloriæ & existimationis incremento. Promotor aliquoties salutatus, novem Viris Theologis S. Doctoratûs titulum commisit; Viris non tàm numero (quæ Gradus istius apud nos est insolentia) quàm doctrinâ & famâ eminentibus. Exteris quidem, *Georgio Pauli*, *Dantiscano*; *Henrico à Diest*, *Altenano Westphalo*, qui hodieque de illustri Daventriensium Schola præclarè meretur; *Elardo Gerbadio*, *Bremensi*; *Nicolao Vedelio*; *Joh. Philippo Paréo*, *Davidis filio*, per literas ob senii difficultates promoto; & *Friderico Spanhemio*, cui nomini, quoties profertur, videre mihi videor assurgere totam doctorum catervam, & ex dulci ejus memoria tripudiare quicquid est in urbe, quicquid est in orbe, eruditi. Ex Nostratibus verò summorum Virorum Trigæ, *Johanni Wollebio*, Sacrorum nostrorum gravissimo quondam Antistiti; *Theodoro Zuingero*, Successori celeberrimo, cujus luctu eheu! Ecclesiæ & Academiæ damnosissimo, etiamnum squalemus, squalet hic ipse locus, qui toties ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίησι ab eo excepit! &, cujus virtutes ac merita

— nec ventura silebunt
Lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas,

Dn. Johanni Buxtorffio, quem Deus rebus nostris diutissimè interesse ac præesse patiatur! Sera sit illa dies, & nostris demùm nota successoribus, quæ Te, Vir Dei, cælo tuo tradat!

Noster sanè hoc ipsum inter prima divinæ bonitatis

argumenta numerabat, quòd tàm sacra sibi manus contigisset, ut quoscunque Doctores creasset, potentia Dei organa evaserint, ὧν τὸ μυρίον κλέος δι᾽ ἡλθε καὶ ἐπὶ νύκτα καὶ πρὸς ἀῶ. Tàm nempe potens fuit in eo Gratia, tàm copiosa Spiritûs unctio, tàm præclaræ dotes, à quibus nihil nisi auspicatum proficisci poterat.

Vigebat enim in *Beckio*, præter ingenii ac memoriæ felicitatem, subactum præsertim ac sine nube judicium, cujus dexteritatē omnia ipsius gesta, sacra præsertim, commendarunt. Testis exquisita ipsius eruditio, cui quod crudum, quod ambiguum, non satis defæcatum, non probè exploratum esset, nihil permixtum fuit. Docens nihil proferebat, quod pòst cum pudore retractandum esset: nec linguam menti, nec facta consilio præcurrere sustinebat; sed apto quodam & concinno parallelismo consilia, linguam, facta moderabatur. Paucis, *loquebatur* ὡς λόγια Θεοῦ, ac in sententiâ semel conceptâ invictus perstare poterat. Testis etiam Senatus Ecclesiasticus, qui eum habuit ab annis quadraginta Assessorem, in consiliis de Ecclesiæ salute dandis providentissimum, eòque semper connisum, ut puritas doctrinæ in Templis sonaret, Ministerii authoritas vigeret, Ecclesiis de Pastoribus idoneis & μαρτυρημένοις prospiceretur, illud Ciceronis probè compertum habens: *non indignos, si quando ornentur, honestari; sed ipsa turpari ornamenta:* fierique apud bonos *ipsam dignitatem indigniorem, ubi ab indignis possideatur.*

Quàm fuerit veritatis & ὀρθοδοξίας retinens, quàm ab omni καινοτομίας & κενοτομίας fermento alienus, nemo est, qui ignoret. Nil magis execrabatur, quàm luxuriantem ac desultoriam multorum levitatem, quibus nihil

nihil arridet, nisi quod vel singulare, vel novitatis specie sese commendat. Dolebat, novum ἔριδος μῆλον in florentissimas Galliarum Ecclesias recèns fuisse projectum, & pacem Ecclesiasticam turbatam ab iis, quos minimè omnium oportebat, spontè largientibus quod *Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* Meriti verò Christi, &, quam nobis peperit, Justificationis integritatem, quàm dextrè & constanter propugnarit, ne quidem Synodum antè laudatam latuit. Quantumvis enim illa, Arminianis debellandis intenta, hocce doctrinæ caput non fuerit persecuta; cùm tamen Belgarum Confessio, more in Synodis recepto, examini Theologorum committeretur; Noster cum *Joh. Davenantio*, *Sam. Wardo*, *Paulo Tossano*, aliis, inprimis autem cum Celeberrimo Viro *Fr. Gomaro*, author fuit Belgis, ut Articuli XXII. & XXIII. à veteri plagio, quod à *Cargiano* quodam Interprete passi fuerant, repurgarentur. Hærent, *Auditores*, in animo meo, imò trabali clavo fixa manent, quæ τὸν μακαρίτην sæpenumerò ingeminare audivi, de τῶν νεωτεριζόντων impetu maturè compescendo: non maxima tantùm & medioxuma, sed & minima quæque eorum placita judicabat cohibenda, ac imis è fibris radicitùs revellenda. *Licèt enim*, ajebat, *primâ fronte asperius nihil minitari videantur*; ὕπουλα *tamen sunt, in Cadmæa tandem dissidia magnasq́; calamitates eruptura. Quin & authores Spiritu vanitatis, ambitionis, & δοξησισοφίας titillantur, ut nil nisi pestiferum & exitiale ab iis sit expectandum.*

Quando verò illud, ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν, Græculorum, non Prophetarum est emblema; & ex *B. Nazianzeni* pręcepto ille demùm Theologus appel-

lari meretur, qui in Theologiæ professione λόγῳ τε καὶ ἔργῳ occupatur; id sibi quoque accurandum censuit ὁ μακαρίτης, ut vero pietatis, justitiæ ac temperantiæ exemplo Theologũ exprimeret, eoq́; vitæ transigendæ faculã Auditoribus suis alluceret. Noverat enim, sacra Dei eloquia nonnisi in anima sancta, ut Manna olim in aureo vase, custodiri posse. Noverat, pietatem coloniam veluti esse, ex Theologia in mediam hominum vitam deducendam; sed maximè in Theologi familiam, quæ omnium oculis, animis omnium objecta, magistra velut judicetur publicæ disciplinæ. Hinc sacris domi suæ, tanquam in veræ officina pietatis, exercitiis vacare; sanctas ad Deum manus attollere, statas precum horas & lectionis Biblicæ observare; hymnis & cantionibus sacris, Davidis Spiritum exprimere; liberis τῆς ἀνυποκρίτου pietatis studium, καλὸν ἐπὶ τάφιον, ut *Basilius* loquitur, & *amplum* futurum *sepulcri monumentum*, inculcare; eaq́; identidem peragere, quæ hominis Christo authorati præcipuè referrent.

Sed jam ad extremam fabulæ catastrophen accedamus. *Felix & omni dignus beatitudine*, inquit Hieronymus, *quem senectus Christo occupat servientem: quem extrema dies Salvatori invenerit militantem.* Felix igitur Athleta noster & omni dignus beatitudine! Quæ enim vulgò senectutem comitantur mala, *hebescentes paulatim sensus, membra torpida, visus præmortuus, auditus, dentes ac ciborum instrumenta ad officium inepta*; cùm illum parcè admodùm invasissent: nunquam à muniis penitùs abstraxerunt, nunquam à consilio, quo Ecclesiam & Academiam juvabat. Nempe *Christo servientem occupavit senectus*; sed & *extrema dies Salva-*

tori

tori militantem. Nullæ ipsum ambages morabantur, nulli anfractus, aut obliqui morborum flexus, quibus ad metam circumeundum esset; sed optatissimo compendio ipsa dies decretoria morbos, dolores, cruciatus omnes antevertit. Erat superioris anni VII. Iduum Martii, quæ suprema ei in terris illuxit. Cùm enim illam laboribus consuetis, quantum à rudiario requiras, transmisisset; filios etiam suos, de more se convenientes, mirâ vultûs hilaritate (ut *esse Phœbi dulcius lumen solet Jam-jam cadentis*) excepisset; sacris quinetiam hymnis, quibus à cœna pia mens vacare solebat, (ultimâ præsertim Psalmi trigesimi & octovi strophâ:

Tu ne recede longiùs, neu deseras
Periculis in ultimis.
Accurre: dextram da salutarem, meæ
Salutis auctor unice)

spiritum recreasset; ultima fatorum necessitas ei confestim imminebat. Vix enim secundam inter & tertiam nocturnam ex quodam intestinorum dolore evigilaverat: vix de remedio ei offerendo pia ac solicita conjunx cogitaverat; quum Spiritum suum subitò ac repentè Servatori reddidit, ad sedium beatarum colonos transmittendum: nec, quod vulgò, vitam cum morte, sed mortem cum vita commutavit.

Quid enim aliud est vita nostra, quàm mors continua? Non tùm primùm, cùm spiritum agimus extremum, mori dicendi sumus; sed singulis & diebus, & horis, & momentis. Quantum annorum ætatisque transegimus, tantâ nostri parte emortui sumus. Ut candela ardendo, sic mortales vivendo nos-ipsos absumimus. Illa fulgendo deflagrat: & nos, dum flo-

remus, corporis animiqúe viribus dum fruimur; sensim ac sine sensu easdem depascimus.

Tu verò vicisti Panoplita, & gloriosè vicisti! Docueras alios eam doctrinam, quâ pectus contra mortis horrorem robustum ac invictum præstatur: ejusdem igitur præsidio omnia mortis spicula declinasti, insidias elusisti, constanter & cum gaudio fati tui legem excepisti! Evixeras multò ante mortem vitam tuam, ac supernum illud beatorum πολίτευμα unicè anhelaras: hinc nullis morborum hortaminibus ad ejus desiderium compellendus, sed compendiosâ planè ratione corporis tui vinculis expediendus eras. Mortem non vidisti, sed vicisti: non funus te insecutum, sed fœnus magnum: quo non consumtus fuisti, sed consummatus! Nempe ex terrestri hâc Academia in cœleste translatus animorum concilium, ubi non ἐκ μέρους θεολογεῖς, sed πρόσωπον πρὸς πρόσωπον; ex labore ad quietem; ex cruce & ærumnis ad felicitatem; ex continuâ morte ad vitam, nullis seculorum successionibus terminandam. Nempe igitur vicisti Athleta Dei, & gloriosè vicisti!

At nobis, nobis, Auditores, funesti sunt ejusmodi luminarium occasus. Non unius generis portendunt calamitates, discrimina, vicissitudines, ærumnas. Senex quidam in canos suos digitum intendens, *hâc nive*, inquit, *dissolutâ*, *multum erit luti*: multorum innuens malorum præsagam esse fatalem magnorũ necessitatem, ipsorum etiã Senum, qui annis laboribusq; confecti, maturuisse velut ad mortem videri possint.

Tu omen averte, DEUS OPTIME MAXIME, *& Basileam nostram à labantis hujus mundi ruinis & calamitatibus immunem esse jube. Sit ea semper salva & tranquilla,*

quilla, sit pia gratiæ tuæ sedes, sit invictum potentiæ ac virtutis tuæ theatrum. Hoc præsertim Ecclesiæ & Reipublicæ seminarium, & in eo sanctam Prophetarum Scholam, tibi commendatam habe. Magnum est bonitatis tuæ argumentum, Deus noster, quòd in ea potentes Veritatis vindices nobis relinquis, & Spiritu tuo subinde vocas, qui in defunctorum labores auspicatò ingrediantur. Indulge illis quæsumus duplam Spiritûs τῶν μακαρίτων *hæreditatem: ut quod illi agunt, felicissimè juxtà & diutissimè agant, & in laboribus suis vivido benedictionis tuæ sensu identidem reficiantur. Fac, ut quisq; in statione suâ fidem tibi nostram & obsequium in tantum probemus, ut nonnisi tibi gloriosa, nobis salutaria, aliis proficua dicamus, faciamus: donec periodo laborum nostrorum decursâ, in montem illum transferamur sanctitatis tuæ, ubi nihil erit opus laboribus,*

nihil Doctoribus, nihil doctrinâ vel disciplinâ;
sed in lumine tuo videbimus lumen, Tuq;,
ô Deus, eris omnia in omnibus,
Amen.

DIXI.

EPITAPHIVM
Lapidi ſepulchrali inciſum.

ÆVO SEMPITERNO FRVITVR
BEATVS ECCLESIÆ
DOCTOR
PRIMVM VETERIS PER SEPTENNIVM
DEIN NOVI TESTAMENTI
PER ANNOS TRIGINTA SEX
PROFESSOR
DN. SEBASTIANVS BECKIVS
BASILEENSIS
CANDORE IN RELIGIONEM
CVIVS TESTIS EST SYNODVS
DORDRACENA
PRVDENTIA IN ACADEMIAM
QVÆ IPSVM QVINQVIES RECTOREM
HABVIT
CONSPICVVS
MANSVETVS PIVS VENERABILIS
TANDEM SEPTVAGENARIO MAIOR
VI. ID. MARTII A.C. M DC LIV.
VIDVA LIBERIS QVATVOR
BONIS OMNIBVS LVGENTIBVS
VIRTVTIS AC ERVDITIONIS SVÆ
FVNVS DEBVIT
MEMORIAM RELIQVIT
NOBIS POSTERISQVE
PERENNEM.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In celerrimum & beatissimum Transitum
Venerandæ memoriæ VIRI,

DN. SEBASTIANI BECKII,

S.S. Theol. D. & in Academ. Basil.
Profess. meritiss.
ex hac in cœlestem Vitam,
EPICEDIA.

I.

TER Venerande Senex, & Vitâ & Morte perennis:
Si tamen & dici, Mortem obiisse, queas.
À morte ad Vitam qui transit, mortuus haud est:
Sed Vitæ scatebras hunc tetigisse putem.
Quid misera hæc Vita est, nisi Mors? tot casibus illa
Plena est, hoc ut sit Vivere, Mortis iter.
Mortis iter celeri passu hîc qui perficit, Idem
Hoc ipso citiùs Vivere cœptat Ibi.
Mortem igitur nunquam subiisti, Sancte Propheta
CHRISTI: *cujus erat Vitaq́ Morsq́ tua.*
In morte hac vitam vivebas: ergo perennis
À Vita ad Vitam est Transitus ille tuus.

EPITAPHIUM.

Ἔνθα ΣΕΒΑΣΤΙΑΝΟΣ ΒΕΚΙΟΣ, Σοφὸς, Ηϋσεβής τε
Θάπτεται· ἐν δυσὶ πᾶν ῥήμασι, Θεῖος ἀνήρ.

Observantiæ in Præceptorem perennantis
monumentum pos.

JOH. RODOLPHUS WETSTENIUS,
S.S. Theol. Doct. & in Acad. Basil.
Profess. Ordin.

II.

SEBASTIANUS BECCIUS.

Ecce sanus! Ubi stabis?

*E*Cce Vir eximius, fidei vitæque tenore
Perpetuo *sanus*, nobis cecidisse videtur.
At stat is incolumis. Sed *Ubi*? Stas vivus in ipso
Justorum Cœtu, Becci, *stabis*que perenné.

JOH. RODOLPHUS STUCKIUS,
S. Theol. Prof. Tiguri, l. meritoq; f.

III.

*S*Iccine *post obitum tandem*, Clarissime BECKI,
Et vitâ simul & Basileâ indictus abibis:
Téne tot ora Virûm nullo sermone beabunt?
Labitur & labetur iners penè integer annus,
Nullaq; justa Tibi, quanquam condigna, ferentur,
Deliciæ, BECKI, Musarum & Apollinis olim,
Deliciæ, BECKI, Aonidumq; novemq; sororum?
Sed meliora Tibi sacra est largita Minerva,
Sacrorum Interpres, meliora volumina volvens
Fœderis æterni, retegendo arcana salutis:
Quapropter Gernlerus *adest meritoq; parentat.*
Macte animo, Gernlere, *quod hæc Tibi gratia cedat,*
Præceptorisq; obtigerit præconia ferre.
Nec Tibi Materies deerit, nec lucidus ordo:
Plurima inexhausto venient uberrima fonte.
Dordraca *eum vidit* Synodus, *simul audiit illum,*
Cum Patribus divina tuentem dogmata pridem.

Testis

Testis adest sacris ab eo informata juventus,
Undig, Pastorum, quibus est Ecclesia splendens,
Turba, etiam quorum studiis Academia gaudet.
Testis & est fausto patriæ sub sidere natus,
Quem vidit in dignis Academia sedibus esse,
Filius, ad graviora tamen contendit & audet.
O fortunatum quantùm Te judico, BECKI:
Rex ut Alexander quondam censebat Achillem,
Non quòd Pelidæ Tibi sit laudator Homerus;
Sed laudum veniat Gernlerus *præco tuarum.*

Apposuit Genevæ Allobrogum,
DANIEL CHABRÆUS, Ecclesiastes.

I V.

ANAGRAMMA:

Sebastianus Becius.
Subi, beatus es, canis.

DUM vixti, fidus Christoque Scholæque fuisti,
Instillans juvenum dogmata sana choro.
Cursum absolvisti, Tibi cœlica parta corona est;
Nunc in cœlorum tecta beata *subi.*
Nunc Agno sociatus ovas, quater *esq*; *beatus*;
In cœtu Angelico jubila sancta *canis.*

JOHANNES WIRTZIUS, S. Theol.
in Schola Tig. Prof. honoris c. f.

V.

PLangere si fas est subductos morte Magistros,
Artes qui dextrè nos docuêre bonas:

Plangere si fas est subductos morte parentes,
Ist hôc qui vivos nos posuêre solo:
Plangere si fas est lachrymosis lessibus illum,
Utile qui Patriæ præstitit officium:
En BECKI, *Venerande Pater, Doctorq; fidelis,*
Raurica qui ornâsti pulpita sacra scholæ:
Qui benè cœlestis sparsisti semina vitæ,
Hinc titulum alterius Tu Genitoris habes.
Quis Tua non plangat præcocia funera? quis non
In tumulum mœstas spargeret inferias?
Vix quisquam vitâ Tibi fortunatior unquam,
Sed melior properâ fors Tibi morte fuit.
Non Tibi crudeles vexârunt viscera morbi,
Nec Te pauperies sordida pressit humi,
Maturè ad summos Doctoris tractus honores,
Theiologos inter fama celébris erat:
Splendida Dordraci Synodo Tibi gloria crevit,
Extinguet nomen nulla litura Tuum.
Ast fueris vitâ felix, es morte beatus:
Extremum superas qui sine morte diem.
Nulla Tibi dirâ peperit cum morte triumphum
Lucta, nec ex armis cœlica palma venit:
O nimium dilecte Deo! quem terra benignè
Larga fovit, cœli culmine lætus ovas.
Deploret qui vult subitanea funera BECKI,
Sed melius discat damna gemisse sua,
Ejus ad exemplum collimet vivere rectè,
Sic vitâ felix, morte beatus erit.

Piis Manibus Præceptoris quondam
sui, gratitudinis symbolum P.
JOH. JACOBUS WERENFELSIUS,
V. D. M. in æde Div. Martin.

VI. SE-

VI.

SEBASTIANUS BECKIUS,

Αναγραμματιζόμενος,

K in C mutato,

Túne basis es, ac cibus?

AN *basis* ille fuit, vixit dum lucis in aura?
Næ fuit: at cujus, dic, *basis* ille fuit?
Claræ Academiæ, quæ Te suffulta virebat,
O BECKI: tres nunc heu cecidêre bases!
WOLGANGUS, noviter THEODORUS,
& ille Σεβαστὸς
BECKIUS: Alme novas redde JEHOVA bases.
An *basis* in cœlis nunc *es*? *Basis es* q; superna,
Scilicet in Templo celsa columna DEI.
Dumque Professor eras, studiosis pinsere panes
Cœlestes, hæc ars, hic labor unus erat.
Ad Te confluxit juvenum studiosa caterva,
Queîs & Pistor eras, queîs simul atque *cibus*.

FELIX WYSSIUS,
Tig. Eccl. Minister.

IN MEMORIAM

Excellentissimi, Clarissimi VIRI

D.D. SEBASTIANI BECKII,

S.S. Theologiæ, dum viveret, Doctoris Solidissimi, ejusdemque Facultatis in perantiqua Illustri Illustrium Basileensium Academia Professoris de omnibus meritissimi,

Kabbalistica Nominis שבאסטיאן באקיוש:

Ἀνάλυσις, in qua fulgentissimas & Μακαρίτου conspicere virtutes, tristissimum Sideris hujus splendidissimi, quem jure merito Academia dolet, occasum, vel beatissimum potiùs Animæ illius sanctissimæ cœlestia inter lumina considerare ortum licet.

שבאסטיאן באקיוש:

I. Per ראש תיבות seu primas literas;

α. Simplicis Nominis. α. שב *reversus est* scil. אל האלהים ad Deum Eccles. 12,17.

β. Ejusdem per אב"גד commutati. β. תג *Corona*, de qua 2. Tim. 4, 8.

II. Per אב"גד figuram, quâ ב pro א, ג pro ב &c. ponitur; שבאסטיאן באק'

תג בע' כבס גבר *corona* illa *petitio* ejus erat: *lavit* vestes suas *Apoc.* 7, 14. *prævaluit*, *Rom.* 8, 37.

III. Per תמורה *transpositionem* literarum

α. Nominis simplicis. α. בקש י' אסא אנש טוב: *Quæsivit Dominum*; *sanavit hominem* illum *bonum*.

β. Ejus per את"בש inversi. β. שב פשט מרת בתחנת דם: *Aversus est irruens* leo 1. Pet. 5. v. 8. nam *mortus est in gratia sanguinis*, i. e. Sanguine redemptus.

γ. בעזר

γ. בעזך תגי בסתר גנך: *In labore tuo*, ô Deus, *corona mea in occulto apud te* est. γ. Ejus per אבגד mutati.

δ. שנשב *Sedebimus* unà scil. &c. Matth. 8, 11. δ. τῶν ר״ת & ס״ת conjunctim.

IV. Per גמטריא *Gematriam*;

α. שב במה רבי גדול } 302. *In quo* fuit *Magister magnus?* α. τῶν ר״ת

respondetur:

β. שבאסטיאן באקיוש כח גבור בתורה } 852. *Robur fortis fuit in lege.* β. Simplicis Nominis.

γ. נש והיה צורו בי׳ } 350. *Et fuit rupes Ejus in Domino.* γ. τῶν ס״ת

δ. בשתחנמתט שתדמפב לקח אב רבי מעל תלמידי תורה אלוה } 2035. *Ablatus est.* (2. Reg. 2. v. 10.) *Pater, Doctor, à Cultoribus legis divinæ.* δ. Ejusdem per את״בש conversi.

ε. תגבעיכבס גברכזה נבהלה הישיבה כי בקיו הלך בדרך כל הארץ } 1199. *Turbata* mœrore *est Academia, quia D. Beckius ivit viam omnis terræ.* ε. Ejusdem per אב״גד mutati.

V. Per נוטריקון, quando singulæ literæ vocem notant

α. שלום בדרכו אהב סמוכי טוב יודעי אמת נדיבים בדרכם אהב קדושי י׳ וגם שלמים: *Pax in via ejus* fuit, *dilexit Candidatos sinceros, edoctos veritatem, promptos in studio suo, amavit sanctos Domini atque pacificos.* α. Nominis simplicis.

β. ברוך שלמד תורה חלקו גר משכילי תלמידים טובים שומרי תורה דגו מגדי פניו בשמים *Benedictus*, a, memoria ejus *qui docuit legem, portio ejus* jam est *lumen, splendor eorum, qui instituunt* (Dan. 12, 3.) *discipulos probos* & *pios, multiplicantur deliciæ faciei illius in cælis.* β. Ejusdem per את״בש mutati.

γ. תגו גדול בשמים עם ישוע כי בו סגלתו גמולו באחרונה רוחני כי זכר תורה γ. Ejusdem per אב״גד conversi.

Corona ejus magna in cœlo cum Jesu, quia in eo peculium ejus, retributio ejus tandem spiritualis, quia recordatus est legem.

Brevis

Brevis Ἀνακεφαλάωσις quam continet

שיר פשוט ומרבע:

אשא עתה את הקינה.
דברי שירי חכם בינה
מה גדול יש און * תלמידים. * mœror.
בכו בכה גם למודים
כי לקח רבי מן ארץ
מורת [α] באקיוש עשה פרץ α. D.D. Beckius p. m.
הרבה אותו מורת [β] מיארוש β. D. D. Wolfgangus Mejerus, b. m.
הלך אתם [γ] צוינגרוש γ. D. D. Theodorus Zuingerus
אמנם [δ] חוט המשלש נרתק δ. Eccles. 4, 12.
אויה אז חוט הזה נתק
מי יתן תפארת להם
מי יודיע מעלליהם
מעשי באקיוש שברור
ספר רב גרנלר [ε] בצבור ε. Clariss. Ven. D. M. Lucas Gernlerus, parentationis istius Author.
השכיל רבים את התורה
הוכיח תועים בגבורה
כי הוא שלם טובים כבד
כי הוא צדיק רעים אבד
בשמים היה צורו
על כן גם לברכה זכרו
זה מורה מות באחרונה
אך אל אביו שוב בתחנה
לא בא במשפט את עבדו
כי דם ישע כבס בגדו
יה שורת על ראשו תג חיים
שמחת רוחו בשמים
דגו לעד מגדי פניו
ברוך רבי הבא אחריו
יתברכו סגני זה מקום
יורו תורה צדק שלום
עד כי שנשב כלנו
בשמים את אבינו

Hanc veluti perpetuam amoris & honoris Illustri Illustrium Basiliensium Academiæ, quam ex Anglia redux in transitu salutavi, debiti tesseram extare volui,

JOHANNES MÜLLERUS Tigurinus, SS. Theol. Candidatus.